Crescentiis, Petrus /de; Rusius, Laurentius: Ruralia commoda, Libri XII ; Hippiatria sive marescalcia




orti potius esse cum leviter inclinati planities cursus aque fluen-
tis per spatia distincta derivat. Si habetur copia terre ortis
exposite partes eius sic dividende sunt ut hec in quibus au-
tumpno seminabitur vernali tempore pastinentur et quas se-
minibus vere complebimus autumpni tempore debent fodi. Ita ut
utraque pastinatio decoquatur beneficio algoris et solis. In locis
autem humidis seminandis in vere utile erit circa finem novembris
cumulare ipsum sulcos grandes ad quos labatur superfluus area-
rum humor tempore sationis ut maturius talis locus circumsul-
cis repletis seminibus impleatur. Si vero terreni penuria
habetur quocumque tempore anni terra humiditate et siccitate conve-
nitur equalis pastinari potest et statim seri sed si optimus locus
fuerit impinguatus ea que sata erunt magis incrementum sus-
cipient. Pastinatum vero fiat profundum prima vice grossum
cum vangha et super totum fimus spargatur deinde cum ligonibus i-
terum minutatim pastinetur et quantum fieri potest letamen et ter-
ra misceantur et in pulverem deducantur. Cum autem seminan-
dum sit in fine fiant aree circa duos pedes ample et longe
quantum volueris super quibus iactabitur semen et rastro ope-
riatur. Et si quid terre dure in superficie remanserit conteratur et
iterum aree cum fimo operiantur maxime cum fit satio hyemalis.
Impinguat enim terram et a frigore semen defendit. Herbe
autem scilicet lactuce bliet borago coliandri et cetere que in eo loco
ponuntur erunt evulse cum fit pastinum commode circa sulcos a-
rearum plantantur ut in sequenti habeatur quadragesima et
seminario non auferunt nocumentum ex quibus quis voluerit
potius ad semen producendum servare. Post autem in ortis
satio plurium herbarum fieri toto tempore anni quo aer et terra
naturaliter seu hominis industria inveniuntur equales aut ab
equalitate non nimium distrepantes. Sed principalis et precipua sa-
tio duplex est una vernalis que fit mense februarii vel mar-
tii altera autumpnalis que fit mense septembris vel octobris
Ita tamen quod locis frigidis autumpnalis satio maturius fiat v-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1070/0281
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG